

civilium turbarum tollerentur, Senatus nullum officii genus prætermisit. At Pontifex, majori studio in eam rem incumbendum, ne eo malo sensim Italia corriperetur, arbitratus, modo prece, modo minis, modo obnuntiationibus id egit, ut, tandem conciliatis animis, concordia revivisceret, atque inde ordinandæ Reipublicæ decreta ac leges a Cardinale Morono, pontificio legato; Petro Fauno, Episcopo Aquensi, cæsareo oratore; Carolo Borgia, Joanne Idiaqueo, regiis legatis, conditæ ac latæ, in sequentis anni fere initium vulgatæ sunt.

Compositis Genuensium rebus, Italiæ pax, quæ nutare videbatur, confirmata est; verumtamen humana ope ea, quæ divinitus impendebant, fata averti nequivere, cum jam pestiferæ luis semina Italiæ fores obsedissent. Nam Tridentum ejusmodi contagione correptum fuerat, quæ in omne genus hominum debacchata cunctos fere illius urbis incolas absumperat; idque virus autumnno per occultos veluti cuniculos Venetam civitatem invasit, ab infima plebe in quibusdam civitatis regionibus initio facta; cui extinguendo nihil a Patribus prætermittebatur, ordinario procurandæ sanitatis magistratui extra ordinem duobus insignibus Senatoribus, qui cum summa auctoritate præessent, adjectis. Vincentio Mauroceno, ac Joanni Aloysio Bragadeno, Marci Antonii fratri, qui ad Famagustam pro fide ac religione a Turcis obtruncatus fuerat, munus id est delatum.

*Genuensium
res composi-
tæ.*

*Venetias pe-
stifera luis
invasit.*

M. D. LXXVI.

SEquitur annus partæ salutis quingentesimus septuagesimus sextus supra millesimum, atroci pestilentia, quæ urbem universumque fere terrestre imperium invasit, Reipublicæ acerbis; nec minus piratarum insolentia molestus, qui licet nunquam armis coerciti, aliquando officiis apud Principes repressi, Venetos exercebant; ii hoc anno incunte ex Liburnia regione erupere, quæ sterili solo, præruptis montibus, cautibus, recessibusque impervia, homines feritate animi ac corporis robore præferoces rapto ac præda vivere assuetos gignit; ut etiam Romanæ reipublicæ temporibus latrocinii ea regio infamis haberetur. Uscochorum nomen gens hac fere

1576

*Uscochorum
direptiones.*

tem-